Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 405

Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 50. *Incipit liber ſancti Gregorii pape de conflictu uiciorum et uirtutum.* Initium eſt: *Apoſtolica uox clamat per orbem* &c. Iſtud *Ambr. Autperti* Opuſculum alibi non uno Codice *Auguſtino* et *Ambroſio* tributum vidimus. Vide *Cod.* CLXXXVIII. Jam dominum mutat. Quin et *Leoni* et *Iſidoro Hiſp.* inſcriptum reperire eſt.

III. *fol.* 70. *Conflictus uiciorum et uirtutum.* Anonymus quidam Poeta hic Opuſculo praecedenti artem ſuam commodavit, et in Hexametros LVII. redegit ea, quae ibidem inter Vitia Virtutesque ventilata ſunt. Auſpicatur vero ita:

Vos qui ſub Chriſto mundo certatis in iſto
Diſcite uirtutum conflictus ac uiciorum. &c.

Confligentium nomina miniata in margine adſcripta ſunt, atque *Superbia* inchoat:

Quis mihi laude pari uel honore poteſt ſociari?

Reponit *Humilitas:*

Flos feni. uermis. puluis. cinis. unde ſuperbis? &c.

Simile Certamen vide *Cod.* CCXCIII.

IV. *fol.* 73. *Incipiunt Rethorici colores.* Tractatulus de Figuris oratoriis, quarum adferuntur definitiones, ſingulisque ſubjiciuntur Exempla metro incluſa non infelicia. Praefamen incipit:

Verſificaturo quedam tibi tradere curo
Stemmata uerborum ſtudiis celebrata priorum &c.

Prima Figura eſt *Repetitio*, de qua: *Repetitio eſt cum continenter ab uno atque eodem uerbo in rebus ſimilibus et diuerſis principia ſumuntur, hoc modo:*

Tu mihi lex. mihi rex. mihi lux. mihi dux. mihi uindex. &c.

Autorem *Gallum* fuiſſe ſuadet iſtud *Complexionis* exemplum:

Qui ſunt qui pugnant audaciter?
Qui ſunt qui ſuperant inimicos? } *Andegauenſes.*
Qui ſunt qui parcunt ſuperatis?